

I M P R I M A T U R ,

Si videbitur Reverendissimo Patri sacri Palatii Apostolici Magistro.

*Nicolaus Card. Caracciolus Pro-vicarius Archiep. Capuae.*

## A P P R O B A T I O N E S P R I M I T O M I C U M S Y N O P S I .

**D**E mandato Reverendissimi Patris Fr. Gregorii Selli Magistri sacri Palatii Apostolici, attentè vidi Librum, cui titulus: *Sanctiss. Domini Nostri Domini CLEMENTIS Papæ XI. Constitutio UNIGENITUS Theologicè propugnata, Tomus Primus, cum Synopsi*; in quo post Prølegomena perutilia defenditur Exordium Constitutionis, & tam multiplicium Propositionum damnatio; ac ostenditur, nullam esse necessitatem ulterioris explicationis. Deinde singularum Propositionum damnatio usque ad trigesimam septimam inclusivè Theologico examine propugnatur, & ab Hereticorum cavillis vindicatur. Opus hoc solidè, luculenter, & perspicuè stabilens Catholicam veritatem, & oppositionum nubeculas dissolvens, nedum utile, sed planè necessarium censeo, ut publici juris fiat. Datum Romæ in Collegio SS. Blasii & Caroli die 11. Aprilis 1717.

*Jo. Michael Teronius Barnabita Qualificator sancti Officii, electus Episcopus Venusinus.*

**O**pus inscriptum: *Sanctissimi Domini Nostri Domini CLEMENTIS Papæ XI. Constitutio UNIGENITUS Theologicè propugnata, Tomus Primus, cum Synopsi*, ex commissione Reverendissimi Patris Fr. Gregorii Selli sacri Apostolici Palatii Magistri, semel, atque iterum examinavi, in quo, præmissis utilissimis Prolegomenis, Exordium imprimis ejusdem Constitutionis maxima energia, & non minori perspicuitate, acuminè ingenii, & doctrinæ soliditate Author propugnat. Deinde, Authoris Propositionum damnatarum qualitate, periculoso clam serpentis Janfenismi tempore, & puritatis Catholicæ Religionis zelo voces in curvas significationes, & benignas interpretationes deflectere, aut restringere omnino prohibentibus, jure merito triginta septem priores damnatos Articulos in suo naturali sensu, quem verborum proprietates, indefiniti termini, ac definitivus loquendi sæpissimè inculcarus modus præferunt, accipit noster Author; in quo & Cathedram Sancti Petri eos condemnantis accepisse nullus dubito. Tum verò eosdem Articulos, sacre Scripturæ, Conciliorum, ac sanctorum Patrum autoritatibus, necnon Theologicis rationibus luculenter impugnat, & expugnat validissimè. Ac demum Adversariorum Argumenta omnia, & singula non modò retundit, & prosternit; sed etiam apertissimè offendit, ad ea damnata Dogmata suadenda esse prorsus futilia, inania, & ridicula. Tanta denique se gerit erga Catholicorum Scholas modestia, & observantia, ut firmam ipse spem conceperim, etiam Thomisticæ Alumnos hoc Volumen haud parvi facturos. Sic enim Author totam hanc materiam pertractat, ut legenti clarè constet, ex nullius particularis Scholæ placitis pendere damnatorum Articulorum Constitutionem, aut Constitutionis Apostolicæ æquitatem; sicut ipsa non dependet: quandoquidem tam pro Constitutione, quàm contra quemvis ex damnatis Articulis, argumenta in omnium Catholicorum sententia exhibet invicta. Hoc itaque Opus planè ingeniosissimum, & grandi eruditione refertum publicis typis dignum, & Christianidelibus perutile censeo. Ex Conventu Sanctæ Mariæ super Minervam die 26. Aprilis 1717.

*Fr. Augustinus Pipia Ordinis Prædicatorum sacre Congregationis Indicis Secret., ac sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Qualificator.*

Stante Declaratione facta ab Authore initio Operis circa specialem, ac determinatam censuram ejusdemque ex damnatis Propositionibus.

I M P R I M A T U R .

Fr. Gregorius Selli sacri Palatii Apostolici Magister, Ordinis Prædicatorum.